

**Zeitschrift:** Divus Thomas  
**Band:** 2 (1915)

**Artikel:** Dokumente : Litterae Encyclicae  
**Autor:** [s.n.]  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-762459>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 19.11.2024

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

## DOKUMENTE

## LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS  
PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS ALIOSQUE  
LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM  
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

(Acta Apostolicae Sedis VI, p. 565—581)

## BENEDICTUS PP. XV

*Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem*

Ad beatissimi Apostolorum Principis cathedram arcano Dei providentis consilio, nullis Nostris meritis, ubi proventi sumus, cum quidem Christus Dominus ea ipsa Nos voce, qua Petrum, appellaret, *pasce agnos meos, pasce oves meas*<sup>1</sup>; continuo Nos summa cum benevolentiae caritate oculos in gregem, qui Nostrae mandabatur curae, convertimus; innumerabilem sane gregem, ut qui universos homines, alios alia ratione, complectatur. Omnes enim, quotquot sunt, Iesus Christus a peccati servitute, profuso in pretium suo sanguine, liberavit; nec vero est ullus, qui a beneficiis redemptionis huius exceptione excludatur: itaque genus humanum divinus Pastor partim Ecclesiae suae caulis iam feliciter inclusum habet, partim se eodem compulsurum amantissime affirmat: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient*<sup>2</sup>. Equidem non vos hoc celabimus, Venerabiles Fratres: ante omnia, divina certe benignitate excitatum, sensimus in animo incredibilem quemdam studii et amoris impetum ad cunctorum salutem hominum quaerendam; atque illud ipsum fuit Nostrum in Pontificatu suscipiendo votum, quod Iesu, mox crucem subeuntis, fuerat: *Pater sancte, conserva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*<sup>3</sup>.

Iam vero, ut primum licuit ex hac arce Apostolicae dignitatis rerum humanarum cursum uno quasi obtutu contemplari, cum lacrimabilis obversaretur Nobis ante oculos civilis societatis conditio, acri sane dolore affecti sumus. Quo enim pacto fieret ut Nostrum communis omnium Patris animum non vehementissime sollicitaret hoc Europae atque

<sup>1</sup> Ioan. XXI, 15—17. — <sup>2</sup> Ioan. X, 16. — <sup>3</sup> Ioan. XVII, 11.

adeo orbis terrae spectaculum, quo nullum fortasse nec atrocius post hominum memoriam fuit, nec luctuosius? Omnino illi advenisse dies videntur, de quibus Christus praenuntiavit: *Audituri... estis praelia, et opiniones praeliorum... Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum*<sup>1</sup>. Tristissima usquequaque dominatur imago belli; nec fere nunc est aliud quod hominum cogitationes occupet. Maxima sunt praestantissimaeque opulentiâ gentes quae dimicant: quamobrem quid mirum, si horrificis bene instructae praesidiis, quae novissime ars militaris invenit, conficere se mutuo exquisita quadam immanitate contendant? Nec ruinarum igitur nec caedis modus: quotidie novo redundat cruore terra, ac sauciis completur exanimisque corporibus. Num, quos ita videris alteros alteris infestos, eos dixeris ab uno omnes prognatos, num, eiusdem naturae, eiusdem societatis humanae participes? Num fratres agnoveris, quorum unus est Pater in caelis? Dum autem infinitis utrimque copiis furiose decernitur, interea doloribus et miseriis, quae bellis, tristis cohors, comitari solent, civitates, domus, singuli premuntur: crescit immensum in dies viduarum orborumque numerus; languent, interceptis itineribus, commercia; vacant agri; silent artes; in angustiis locupletes, in squalore inopes, in luctu sunt omnes.

Hisce Nos tam extremis rebus permoti, in primo tamquam limine Pontificatus maximi, Nostrarum partium esse duximus, suprema illa Decessoris Nostri, praeclarae sanctissimaeque memoriae Pontificis, revocare verba, iisque iterandis, Apostolicum officium auspicari; vehementerque eos, qui res regunt vel gubernant publicas, obsecravimus, ut, respicientes quantum effusum iam esset lacrimarum et sanguinis, alma pacis munera reddere populis maturarent. Atque utinam, Dei miserentis beneficio, fiat, ut, quem Angeli in ortu divini hominum Redemptoris faustum cecinere nuntium, idem, ineuntibus Nobis vicarium Ipsius munus, celeriter insonet: *In terra pax hominibus bonae voluntatis*<sup>2</sup>. Audiant Nos ii, rogamus, quorum in manibus fortuna civitatum sita est. Aliae profecto adsunt viae, rationes aliae, quibus, si qua sunt violata iura, sarciri possint. Has, positus interim armis, bona experiantur fide animisque volentibus. Ipsorum Nos universarumque gentium amore impulsi,

<sup>1</sup> Matth. XXIV, 6—7. — <sup>2</sup> Luc. II, 14.

nulla Nostra causa, sic loquimur. Ne sinant igitur hanc amici et patris vocem in irritum cadere.

At vero, non solum huius cruenti dimicatio belli miserrimos habet populos, Nosque anxios et sollicitos. Alterum est, in ipsis medullis humanae societatis inhaerens, furiale malum; idque omnibus, quicumque sapiunt, est formidini, utpote quod, cum alia iam attulerit et allaturum sit detrimenta civitatibus, tum huius luctosissimi belli semen iure habeatur. Etenim ex quo christianae sapientiae praecepta atque instituta observari desita sunt in disciplina rei publicae, cum stabilitatem tranquillitatemque ordinis illa ipsa continerent, necessario nutare funditus coeperunt civitates, ac talis et mentium conversio et morum demutatio consecuta est, ut, nisi Deus mature adiuvet, impendere iam humanae consortionis videatur exitium. Itaque haec cernimus: abesse ab hominum cum hominibus coniunctione benevolentiam mutuam; despiciatui haberi eorum qui praesunt, auctoritatem; ordines cum ordinibus civium iniuriose contendere; fluxa et caduca ita sitienter appeti bona, quasi non alia sint, eaque multo potiora, homini proposita ad comparandum. His quidem quatuor capitibus causas totidem contineri arbitramur, cur societas humani generis adeo graviter perturbetur. Danda igitur communiter est opera, ut pellantur e medio, christianis nimirum principiis revocandis, si vere consilium est pacare communes res recteque componere.

Ac primum Christus Dominus, cum hanc ipsam ob causam de caelis descendisset, ut, quod invidia diaboli eversum fuerat, restitueret in hominibus regnum pacis, non alio illud voluit niti fundamento, nisi caritatis. Quare haec saepius: *Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem*<sup>1</sup>; *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem*<sup>2</sup>; *Haec mando vobis, ut diligatis invicem*<sup>3</sup>; tamquam si unum hoc suum esset officium et munus, adducere homines ut diligerent inter se. Atque huius rei gratia, quod non adhibuit argumentorum genus? Susplicere in caelum nos omnes iubet: *Unus est enim Pater vester, qui in caelis est*<sup>4</sup>. Omnes, nullo nationis aut linguae aut rationum discrimine, eandem docet formulam precandi: *Pater noster, qui es in caelis*<sup>5</sup>; quin etiam affirmat Patrem caelestem, in beneficiis naturae dilargiendis, ne

<sup>1</sup> Ioan. XIII, 34. — <sup>2</sup> Ioan. XV, 12. — <sup>3</sup> Ioan. XV, 17. —

<sup>4</sup> Matth. XXIII, 9. — <sup>5</sup> Matth. VI, 9.

merita quidem singulorum discernere: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos; et pluit super iustos et iniustos*<sup>1</sup>. Fratres etiam nos tum dicit inter nos esse, tum suos appellat: *Omnes autem vos fratres estis*<sup>2</sup>; *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*<sup>3</sup>. Quod vero ad fraternum amorem excitandum, vel erga eos quos naturae superbia contemnit, valet plurimum, in infimo quoque suae ipse vult agnosci personae dignitatem: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*<sup>4</sup>. Quid, quod sub exitum vitae impensissime rogavit Patrem, ut quotquot in se ipsum essent credituri, omnes caritatis copulatione essent unum? *Sicut tu Pater in me, et ego in te*<sup>5</sup>. Denique e cruce pendens, suum sanguinem in nos omnes exhausit, unde quasi coagulati compactique in unum corpus, sic amaremus inter nos, quemadmodum inter membra eiusdem corporis summa amicitia est. — Verum longe aliter se habent mores horum temporum. Numquam fortasse fraternitatis humanae tanta fuit, quanta hodie, praedicatio; quin imo non dubitant, Evangelii voce neglecta, operaque Christi et Ecclesiae posthabita, hoc fraternitatis studium efferre, tamquam unum e maximis muneribus, quae huius aetatis humanitas pepererit. Re tamen vera, numquam minus fraterne actum est inter homines, quam nunc. Crudelissima ob dissimilitudines generis sunt odia; gentem a gente potius simultates, quam regiones separant; eâdem in civitate, eadem intra moenia flagrant mutua invidiâ ordines civium; inter privatos autem omnia amore sui, tamquam suprema lege, diriguntur.

Videtis, venerabiles Fratres, quam necesse sit omni studio eniti, ut Iesu Christi caritas rursus in hominibus dominetur. Hoc certe semper Nobis propositum habituri sumus, velut proprium Nostri Pontificatus opus; hoc ipsum studete vos, hortamur. Ne desistamus vel inculcare auribus hominum vel re praestare illud Ioannis: *Diligamus alterutrum*<sup>6</sup>. Praeclara certe, valdeque commendanda sunt illa, quibus haec aetas abundat beneficentiae causa institutis; at enim, si quid ad veram Dei et aliorum caritatem in animis fovendam conferant, tum demum solidae utilitatis sunt: quod si nihil eo conferant, nulla sunt; nam *qui non diligit, manet in morte*<sup>7</sup>.

<sup>1</sup> Matth. V, 45. — <sup>2</sup> Matth. XXIII, 8. — <sup>3</sup> Rom. VIII, 29. — <sup>4</sup> Matth. XXV, 40. — <sup>5</sup> Ioan. XVII, 21. — <sup>6</sup> I. Ioan. III, 23. — <sup>7</sup> Ibid. 14.

Alteram diximus communis perturbationis causam in eo consistere, quod iam non sancta vulgo sit eorum qui cum potestate praesunt, auctoritas. Ex quo enim placuit omnis humanae potestatis non a Deo, rerum conditore et dominatore, sed a libera hominum voluntate deducere originem, vincula officii, quae eos inter qui praesunt et qui subsunt, intercedere debeant, adeo extenuata sunt, ut propemodum evanuisse videantur. Immodicum enim studium libertatis cum contumacia coniunctum, paullatim usquequaque pervasit; idque ne domesticam quidem societatem, cuius potestatem luce clarius est a natura proficisci, intactam reliquit; quin etiam, quod magis dolendum est, in sacros usque recessus penetravit. Hinc contemptio nascitur legum; hinc motus multitudinum; hinc petulantia reprehendendi quidquid iussum sit; hinc sexcentae repertae viae ad disciplinae nervos elidendos; hinc immania illorum facinora, qui, quum se nulla teneri lege profiteantur, nec fortunas hominum verentur nec vitam perdere.

Ad hanc opinandi agendique pravitatem, qua societatis humanae constitutio pervertitur, Nobis quidem, quibus magisterium veritatis divinitus mandatum est, tacere non licet; populosque admonemus illius doctrinae, quam nulla hominum placita mutare possunt: *Non est potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt*<sup>1</sup>. Quisquis igitur inter homines praeest, sive is princeps est sive infra principatum, eius divina est origo auctoritatis. Quare Paulus non quovis modo, sed religiose, id est ex conscientiae officio, obtemperandum iis esse edicit, qui pro potestate iubent, nisi quid iubeant divinis contrarium legibus: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*<sup>2</sup>. Congruit cum verbis Pauli, quod ipse Apostolorum Princeps docet: *Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum: sive regi, quasi praecellenti: sive ducibus, tamquam ab eo missis . . .*<sup>3</sup>. Ex quo idem Gentium Apostolus colligit, eum qui homini legitime imperanti contumax obsistat, Deo obsistere ac sempiternas sibi parare poenas: *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Rom. XIII, 1. — <sup>2</sup> Ibid. 5. — <sup>3</sup> I. Petr. II, 13—14. — <sup>4</sup> Rom. XIII, 2.



Meminerint hoc Principes rectoresque populorum, ac videant num prudens ac salutare consilium cum potestati publicae tum civitatibus sit a sancta Iesu Christi religione discedere, a qua tantum ipsa potestas habet roboris et firmitati. Etiam atque etiam considerent, num doctrinam Evangelii et Ecclesiae velle a disciplina civitatis, a publica iuventutis institutione exclusam, civilis sapientiae sit. Nimis experiendo cognitum est, ibi hominum iacere auctoritatem, unde exsulet religio. Quod enim primo nostri generis parenti, cum officium deseruisset, contigit, idem civitatibus usu venire solet. Ut in illo, vix voluntas a Deo defecerat, effrenatae cupidines voluntatis repudiarunt imperium; ita ubi qui res moderantur populorum, divinam contemnunt auctoritatem, ipsorum auctoritati illudere populi consueverunt. Relinquitur sane, quod assolet, ut ad turbidos motus comprimendos vis adhibeatur: sed quo tandem fructu? Vi corpora quidem, non animi comprimuntur.

Sublata igitur aut debilitata illa duplici coniunctione, unde efficitur ut omne societatis corpus cohaereat, id est vel membrorum cum membris ob caritatem mutuam, vel eorumdem cum capite ob auctoritatis obsequium, quisnam iure miretur, venerabiles Fratres, hanc hominum societatem dispertitam in duas tamquam acies videri, quae inter se acriter et assidue digladiantur? Stant contra eos quibus aliquam bonorum copiam aut fortuna tribuit aut peperit industria, proletarii et opifices, propterea flagrant malevolentia, quod cum eandem naturam participant, non tamen in eadem, ac ipsi, conditione versentur. Scilicet, ut semel infatuati sunt concitatorum fallaciis, quorum ad nutum solent se totos fingere, quis eis persuadeat, non ex eo, quod homines sunt pares natura, sequi ut parem omnes obtinere debeant in communitate locum, sed eam esse singulorum conditionem, quam sibi quisque suis moribus, nisi res obstiterint, comparavit? Ita, qui tenuiores cum copiosis depugnant, quasi alienas hi bonorum partes occuparint, non contra iustitiam caritatemque tantum, verum etiam contra rationem faciunt, praesertim cum et ipsi possint honesta laboris contentione meliorem sibi fortunam quaerere, si velint. — Quae vero quantaque hoc invidiosum certamen ordinum tum singulis tum communitati civium gignat incommoda, dicere nil attinet. Videmus omnes deploramusque crebras cessationes ab opere, quibus civilis publicaeque vitae

cursus in ministeriis etiam apprime necessariis repente inhiberi solet: item minaces turbas et tumultus, in quibus non raro accidit, ut armis res geratur et humanus effluat cruor.

Non hic videtur Nobis argumenta repetere, quibus *Socialistarum* aliorumque in hoc genere errores manifesto convincuntur. Egit hoc ipsum sapientissime Leo XIII decessor Noster in Encyclicis Litteris sane memorandis: vosque, venerabiles Fratres, pro vestra diligentia curabitis, ut gravissima illa praecepta ne unquam oblivioni dentur, imo in consociationibus ac coetibus catholicorum, in sacris concionibus, in publicis nostrorum scriptis illustrentur docte atque inculcentur, quandocumque res postulaverit. Sed potissimum — neque enim hoc iterare dubitamus — omni argumentorum ope, quae vel Evangelium, vel ipsa hominis natura, vel publicae privataeque disciplinae ratio suppeditat, studeamus hortari omnes, ut, ex divina caritatis lege, fraternis animis inter se diligant. Cuius quidem amoris non ea certe vis est, ut conditionum ideoque ordinum distinctionem amoveat — quod non magis potest fieri, quam ut in corpore animantis una eademque membrorum omnium actio sit ac dignitas — sed tamen efficiet, ut qui loco superiores sunt, demittant se quodammodo ad inferiores; et non solum iuste adversus eos, quod par est, sed benigne, comiter, patienter sese gerant: hi autem illorum et laetentur prosperitate et confidant auxilio; sic prorsus, uti ex familiae eiusdem filiis minor natu maioris patrocinio praesidioque nititur.

At enim, venerabiles Fratres, quae hactenus deplorando persecuti sumus, ea radicem habent altiorem: ac, nisi ad ipsam evellendam studia bonorum incumbant, illud profecto, quod est in votis, id est rerum humanarum stabilis et mansura tranquillitas, non sequatur. Ea quae sit, monstrat Apostolus: *Radix . . . omnium malorum est cupiditas*<sup>1</sup> Etenim, si quis recte consideret, mala, quibus nunc aegrotat humana societas, ex hac stirpe oriuntur omnia. Quandoquidem et perversitate scholarum, quibus aetatula cerea fingitur, et improbitate scriptorum, quibus, quotidie aut per intervalla, imperitae multitudinis mens formatur, et aliarum causa rerum, ad quas opinio popularis exigitur, quando,

<sup>1</sup> I. Tim. VI, 10.



inquimus, ille infusus est animis perniciosissimus error, non sperandum esse homini sempiternum aevum in quo beatus sit; hic licere ei esse beato, divitiis, honoribus, voluptatibus huius vitae fruendis; nemo mirabitur hos homines, natura factos ad beatitatem, ea vi qua ad eorum adeptionem bonorum rapiuntur, eadem quicquid sibi moram in hac re aut impedimentum fecerit, repellere. Quoniam vero haec bona non aequaliter dispersita sunt in singulos, et quia socialis auctoritatis est prohibere, ne singulorum libertas fines excedat alienumque occupet, idcirco et odio habetur auctoritas, et miserorum in fortunatos ardet invidia, et inter ordines civium mutua contentione certatur, nitentibus quidem aliis attingere id quovis pacto et eripere quo carent, aliis autem retinere quod habent, atque etiam augere.

Hoc ipsum Christus Dominus cum prospiceret futurum, in divinissimo illo sermone, quem in monte habuit, terrestres hominis *beatitudines* quae essent, data opera explicavit: in quo christianae philosophiae quodammodo fundamenta posuisse dicendus est. Quae quidem vel hominibus perquam alienis a Fide, singularem sapientiam et absolutissimam de religione ac moribus doctrinam continere visa sunt: et certe consentiunt omnes neminem ante Christum, qui ipsa est veritas, nec similiter eadem de re, nec pari gravitate ac pondere, nec tanto cum sensu amoris unquam praecepisse.

Iam divinae huius philosophiae illa intima et recondita ratio est, quod quae mortalis vitae appellantur bona, speciem quidem boni habent, vim non habent; ideoque non sunt ea, quibus fruens, homo beate possit vivere. Deo enim auctore, tantum abest ut opes, gloria, voluptas beatitatem afferant homini, ut, si vere hac potiri velit, debeat iis omnibus, Dei ipsius causa, carere: *Beati pauperes... Beati, qui nunc fletis... Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum*<sup>1</sup>. Scilicet per dolores, aerumnas, miserias vitae huius, si quidem ea toleremus ut oportet, aditum nobis ipsi patefacimus ad perfecta illa et immortalia bona, *quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum*<sup>2</sup>. Verum haec tanti momenti doctrina Fidei apud plurimos negligitur, apud multos penitus oblitterata videtur. — Atqui necesse est,

<sup>1</sup> Luc. VI, 20—22. — <sup>2</sup> I. Cor. II, 9.

venerabiles Fratres, ad eam renovari omnium animos: non alio pacto homines et hominum societas conquiescent. Quicumque igitur quovis aerumnarum genere affliguntur, eos hortemur non oculos demittere in terram, qua peregrinamur, sed tollere ad caelum, quo tendimus: *non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*<sup>1</sup>. In mediis autem rerum acerbitatibus, quibus eorum periclitatur Deus in officio constantiam, saepe reputent, quid sibi paratum sit praemii, cum ex hoc periculo victores evaserint: *Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis*<sup>2</sup>. Denique omni ope atque opera eniti ut revirescat in hominibus rerum fides quae supra naturam sunt, simulque cultus, desideratio, spes bonorum aeternorum, hoc debet esse vobis propositum in primis, venerabiles Fratres, tum reliquo clero, tum etiam nostris omnibus, qui, vario consociati foedere, Dei gloriam communemque veri nominis utilitatem student promovere. Prout enim haec apud homines Fides creverit, decrescet eorundem studium immodicum consecrandi terrestrium bonorum vanitatem, ac sensim, caritate resurgente, motus contentionesque sociales conticescent.

Nunc autem, si ab hominum communitate ad proprias Ecclesiae res considerandas cogitationem convertimus, est profecto, cur animus Noster, tam magna temporum calamitate percussus, aliqua saltem ex parte reficiatur. Nam, praeter argumenta, quae se dant apertissima, divinae illius virtutis ac firmitatis qua pollet Ecclesia, non parum consolationis ipsa Nobis offerunt, quae decessor Noster Pius X, cum Sedem Apostolicam sanctissimae vitae exemplis illustrasset, praeclara Nobis reliquit suae actuosae providentiae munera. Videmus enim eius opera inflammatum universe in sacro ordine studium religionis; excitatam christiani populi pietatem; promotam in consociationibus catholicorum actionem ac disciplinam; qua constitutas, qua numero auctas Episcoporum sedes; institutioni adolescentis cleri tum pro severitate canonum, tum, quoad opus est, pro natura temporum consultum; a magisteriis sacrarum disciplinarum depulsa temerariae novitatis pericula; maiestati sacrorum artem musicam digne servire iussam auctumque

<sup>1</sup> Hebr. XIII, 13. — <sup>2</sup> II. Cor. IV, 17.

liturgiae decus; novis praeconum Evangelii missionibus christianum late nomen propagatum.

Magna sunt ista quidem Decessoris in Ecclesiam promerita, quorum memoriam grate posteritas conservabit. Quoniam tamen ager *Patrisfamilias* semper, Deo permittente, *inimici hominis* malignitati patet, nunquam est futurum, ut ibi elaborandum non sit, ne *zizania* luxuriantia bonis frugibus officiant. Itaque, interpretantes dictum quoque Nobis, quod prophetae Deus dixerat: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas... et aedifices et plantes*<sup>1</sup>, quaecumque erunt mala prohibenda, bona provehenda, quantum erit in Nobis, summo usque studio curabimus, quoad Pastorum Principi rationem a Nobis administrati muneris placeat repetere.

Iam nunc igitur, venerabiles Fratres, cum vos universos primo litteris affamur, commodum videtur Nobis nonnulla attingere capita rerum quibus praecipuas quasdam curas adhibere decrevimus: ita, maturantibus vobis vestra opera adjuvare Nostram, maturius etiam optati fructus existent.

Principio, quoniam in omni hominum societate, quavis de causa coiverint, ad successum communis causae maxime interest socios in idem summa conspiratione conniti, omnino Nobis faciendum est, ut dissensiones atque discordiae inter catholicos, quaecumque sunt, desinant esse; novae ne posthac oriantur; sed ii iam unum idemque omnes et sentiant et agant. — Probe Dei Ecclesiaeque hostes intelligunt, nostrorum quodvis in propugnando dissidium sibi esse victoriae: quare illam habent usitatissimam rationem, ut cum catholicos homines viderint coniunctiores, tum, callide iniicientes eis discordiarum semina, coniunctionem dirimere nitantur. Quae utinam ratio ne ita saepe ex voluntate eis evenisset, tanto cum religiosae rei detrimento! Itaque ubi potestas legitima quid certo praeceperit, nemini fas esto negligere praeceptum, propterea quia non probetur sibi: sed quod cuique videatur, id quisque subiiciat eius auctoritati, cui subest, eique, ex officii conscientia, pareat. — Item nemo privatus, vel libris diariisve vulgandis vel sermonibus publice habendis, se in Ecclesia pro magistro gerat. Norunt omnes cui sit a Deo magisterium Ecclesiae

<sup>1</sup> Ierem. I. 10.

datum: huic igitur integrum ius esto pro arbitrato loqui, cum voluerit; ceterorum officium est, loquenti religiose obsequi dictoque audientes esse. In rebus autem, de quibus, salva fide ac disciplina, — cum Apostolicae Sedis iudicium non intercesserit — in utramque partem disputari potest, dicere quid sentiat idque defendere, sane nemini non licet. Sed ab his disputationibus omnis intemperantia sermonis absit, quae graves afferre potest offensiones caritati; suam quisque tueatur libere quidem, sed modeste sententiam; nec sibi putet fas esse, qui contrariam teneant, eos, hac ipsa tantum causa, vel suspectae fidei arguere vel non bonae disciplinae. Abstineant se etiam nostri, volumus, iis appellationibus, quae recens usurpari coeptae sunt ad catholicos a catholicis distinguendos: easque non modo devitent ut *profanas vocum novitates*, quae nec veritati congruunt nec aequitati; sed etiam quia inde magna inter catholicos perturbatio sequitur, magnaue confusio. Vis et natura catholicae fidei est eiusmodi, ut nihil ei possit addi, nihil demi: aut omnis tenetur, aut omnis abiicitur. *Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*<sup>1</sup>. Non igitur opus est apposis ad professionem catholicam significandam; satis habeat unusquisque ita profiteri: „Christianus mihi nomen, catholicus cognomen“; tantum studeat se re vera eum esse, qui nominatur.

Ceterum, a nostris qui se ad communem rei catholicae utilitatem contulerunt, longe aliud nunc Ecclesia postulat, quam ut diutius haereant in quaestionibus, quibus nihil proficitur; postulat, ut summo opere contendant integram conservare fidem et incolumen ab omni erroris afflatu, sequentes eum maxime, quem Christus constituit custodem et interpretem veritatis. Sunt etiam hodie, nec ita pauci sunt, qui, ut ait Apostolus, „prurientes auribus, cum sanam doctrinam non sustineant, ad sua desideria coacervent sibi magistros, et a veritate quidem auditum avertant, ad fabulas autem convertant“<sup>2</sup>. Inflat enim elatique magna opinione mentis humanae, quae progressiones sane incredibiles in exploratione naturae, Deo nimirum dante, fecit, nonnulli, cum prae suo iudicio auctoritatem Ecclesiae contemnerent, usque eo sua temeritate processerunt, ut ipsa Dei arcana

<sup>1</sup> Symb. Athanas. — <sup>2</sup> II. Tim. IV, 3—4.

et omnia quae Deus homini revelavit, sua intelligendi facultate metiri atque ad ingenium horum temporum accommodare non dubitarent. Itaque exstiterunt monstruosi errores *Modernismi*, quem recte Decessor Noster „*omnium haereson collectum*“, edixit esse et sollemniter condemnavit. Eam Nos igitur condemnationem, venerabiles Fratres, quantacumque est, hic iteramus; et quoniam non usquequaque oppressa est tam pestifera lues, sed etiamnum hac illac, quamvis latenter, serpit, caveant omnes diligentissime, hortamur, a quavis huius contagione mali; de quo quidem apte affirmaveris quod Iob alia de re dixerat: *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina*<sup>1</sup>. — Nec vero tantum ab erroribus catholici homines, cupimus, abhorreant, sed ab ingenio etiam, seu spiritu, ut aiunt, *Modernistarum*: quo spiritu qui agitur, is quicquid sapiat vetustatem, fastidiose respuit, avide autem ubivis nova conquirit: in ratione loquendi de rebus divinis, in celebritate divini cultus, in catholicis institutis, in privata ipsa exercitatione pietatis. Ergo sanctam haberi volumus eam maiorum legem: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*; quae lex tametsi inviolate servanda est in rebus Fidei, tamen ad eius normam dirigenda sunt etiam, quae mutationem pati possunt; quamquam in his ea quoque regula plerumque valet: *Non nova, sed noviter*.

Iam, quia, venerabiles Fratres, ad profitendam aperte Fidem catholicam atque ad vivendum congruenter Fidei, plurimum homines fraternis hortamentis mutisque exemplis inflammari solent, ideo Nos alias atque alias excitari consociationes catholicorum equidem vehementer gaudemus. Atque illae non solum optamus ut crescant, sed volumus Nostro etiam patrocinio studioque semper floreat: florebunt autem, modo praescriptionibus quas haec Apostolica Sedes iam dedit vel datura eis est, constanter fideliterque obtemperarint. Quotquot igitur, earum participes societatum, pro Deo Ecclesiaeque contendunt, ne sinant unquam sibi excidere quod Sapientia clamat: *Vir obediens loquetur victoriam*<sup>2</sup>; nisi enim Deo paruerint per obsequium in Ecclesiae ducem, nec divinam sibi conciliabunt opem, et frustra contendent.

Ad haec omnia vero — ut eum, quem expectamus, exitum habeant — nostis, venerabiles Fratres, illorum necessariam

<sup>1</sup> Iob. XXXI, 12. — <sup>2</sup> Prov. XXI, 28.



esse prudentem sedulamque operam, quos Christus Dominus *operarios in messem suam* misit, id est clericorum. — Quare intelligitis praecipuam vestram curam in hoc debere versari, ut et qui apud vos de sacro ordine iam sunt, in eis consentaneam sanctimoniam foveatis, et qui sunt alumni sacrorum, eos optimis institutis praeceptisque ad munus tam sanctum rite conformetis. Id vos ut quam diligentissime facere velitis — tametsi vestra diligentia hortatione non indiget — hortamur atque etiam obsecramus. Res enim eiusmodi agitur, ut nulla sit maioris momenti ad Ecclesiae bonum: qua de re, cum decessores Nostri fel. rec. Leo XIII et Pius X egerint data opera, Nos hic plura dicere non habemus. Tantum rogamus, ut illa Pontificum sapientissimorum acta, praesertim Piana *Exhortatio ad Clerum*, suadentibus atque instantibus vobis, ne unquam obruantur oblivione, sed studiosissime observentur.

Unum tamen est, quod praeteriri silentio non debet: quotquot enim sunt sacerdotes, omnes, uti filios Nobis penitus dilectos volumus admonitos, quam plane opus sit, cum ad propriam ipsorum salutem, tum ad sacri ministerii fructum, eos quidem suo quemque Episcopo coniunctissimos esse, atque obsequentissimos. Profecto ab illa elatione animi et contumacia, quae horum est temporum, non omnes, ut supra deploravimus, vacant administri sacrorum; neque enim raro contingit Pastoribus Ecclesiae, ut dolorem et impugnationem inde inveniant, unde solatium et adiumentum iure exspectarint. Iam vero qui tam misere officium deserunt, etiam atque etiam recogitent, divinam esse eorum auctoritatem, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*<sup>1</sup>, ac si, ut vidimus, Deo resistunt, quicumque potestati cuius legitimae resistunt, multo magis impie eos facere qui Episcopis, quos Deus suae potestatis sigillo consecraverit, parere abnuant. *Cum caritas, ita Ignatius Martyr, non sinat me tacere de vobis, propterea anteverti vos admonere, ut unanimi sitis in sententia Dei. Etenim Iesus Christus, inseparabilis nostra vita, sententia Patris est, ut et Episcopi, per tractus terrae constituti, in sententia Patris sunt. Unde decet vos in Episcopi sententiam concurrere*<sup>2</sup>. Quemadmodum autem Martyr illustris, ita omnes, quot quot fuerunt, Patres et Doctores Ecclesiae locuti sunt. Ad haec, nimis grave, propter difficultates quo-

<sup>1</sup> Act. XX, 28. — <sup>2</sup> In Epist. ad Ephes., III.

que temporum, sacri Pastores ferunt onus; graviore etiam in sollicitudine sunt de gregis concrediti salute: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*<sup>1</sup>. Nonne crudeles dicendi sunt, qui eis, obsequium debitum recusando, id oneris, id sollicitudinis augent? *Hoc enim non expedit vobis*<sup>2</sup>, diceret istis Apostolus: idque propterea quia *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori sue grex adhaerens*<sup>3</sup>; ex quo sequitur, cum Ecclesia non esse, qui cum Episcopo non sit.

Et nunc, venerabiles Fratres, in harum exitu litterarum, sponte redit animus ad illud, unde initium scribendi fecimus; atque huius calamitosissimi belli finem, tum societati hominum, tum Ecclesiae, iterum omnibus precibus imploramus; hominum quidem societati, ut, reconciliata cum fuerit pax, in omni civili et humano cultu vere progrediatur: Ecclesiae autem Iesu Christi, ut, nullis iam impedimentis retardata, pergat in quavis ora ac parte terrarum opem et salutem hominibus afferre. — Ecclesia sane iam multo diutius non ea, qua opus habet, plena libertate fruitur; scilicet ex quo caput eius Pontifex Romanus illo coepit carere praesidio, quod, divinae providentiae nutu, labentibus saeculis nactus erat ad eandem tuendam libertatem. Hoc autem sublato praesidio, non levis catholicorum turbatio, quod necesse erat fieri, secuta est: quicumque enim Romani Pontificis se filios profitentur, omnes, et qui prope sunt et qui procul, iure optimo exigunt ut nequeat dubitari, quin communis ipsorum Parens in administratione Apostolici muneris vere sit et prorsus appareat ab omni humana potestate liber. Itaque magnopere exoptantes ut pacem quamprimum gentes inter se componant, exoptamus etiam ut Ecclesiae Caput in hac desinat absona conditione versari, quae ipsi tranquillitati populorum, non uno nomine, vehementer nocet. Hac igitur super re, quas Decessores Nostri pluries expostulationes fecerunt, non quidem humanis rationibus, sed officii sanctitate adducti, ut videlicet iura ac dignitatem Sedis Apostolicae defenderent, easdem Nos iisdem de causis hic renovamus.

Restat, venerabiles Fratres, ut, quoniam principum eorumque omnium, qui possunt vel atrocitati vel incom-

---

<sup>1</sup> Hebr. XIII, 17. — <sup>2</sup> Ibid. 17. — <sup>3</sup> S. Cypr. „Florentio cui et Puppiano“ ep. 66 (al. 69).

moditati rerum, quas memoravimus, finem imponere, in manu Dei sunt voluntates, ad Deum suppliciter attollamus vocem, atque, universi generis humani nomine, clamemus: „Da pacem, Domine, in diebus nostris“. Qui de se dixit: *Ego Dominus... faciens pacem*<sup>1</sup>, Ipse tempestatum fluctus, quibus et civilis et religiosa societas iactatur, nostris conversus precibus ad benignitatem, sedare celeriter velit. Adsit nobis propitia Virgo beatissima, quae ipsum genuit *Principem pacis*; ac Nostrae humilitatem Personae, Pontificale ministerium Nostrum, Ecclesiam atque adeo omnium animas hominum, divino Filii sui sanguine redemptas, in maternam suam fidem tutelamque recipiat.

Auspicem caelestium munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis, venerabiles Fratres, vestroque clero et populo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die festo Sanctorum omnium, I Novembris MCMXIV, Pontificatus Nostri anno primo.

BENEDICTUS PP. XV

BENEDICTI XV EPISTOLA AD R. P. D. PASCHALEM MORGANTI, ARCHIEPISCOPUM RAVENNATENSIVM ET CERVIENSIVM EPISCOPVM, DE SOLLEMNIBUS SAECULARIBUS DIVO ALIGHERIO PARANDIS

(Acta Apostolicae Sedis VI, p. 582 sq.)

*Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.*— Nobis, ad catholicam gubernandam Ecclesiam, quamquam immeritis, ab aeterno eiusdem Auctore nuper vocatis, devotionis observantiaeque testimonium exhibere voluisti, nomine etiam coetus qui saecularibus sollemnibus in honorem divi Aligherii parandis operam navat, sexto iam proxime exeunte saeculo ex quo clarissimum illud poëtarum lumen in ista pervetusta civitate extinctum est. Hoc nimirum venerationis pietatisque erga Nos argumentum postulat ut animi Nostri haud mediocrem, officiosissimis litteris tuis partam, iucunditatem significemus tibi que ceterisque eiusdem coetus viris gratias quam plurimas persolvamus. Quod autem ad inceptum nobile vestrum spectat, animadvertamus in primis oportet, illustres Decessores Nostros, quorum

<sup>1</sup> Isai. XLV, 6—7.

vestigia prosequi nitimur, ingenuarum artium litterarumque patronos semper extitisse, eosdemque promeritis laudibus atque honoribus eximios cumulasse viros, qui celeritate ingenii studiorumque copia et suae ipsorum aetati gloriam pepererunt et nomen suum aeternitati commendarunt.

Quorum profecto in numero Aligherius habendus est, cui quidem haud scimus an nemo ex omnibus omnium temporum vatibus comparari possit. Sed praeterea, id quod est etiam maius, peculiaris quaedam ratio accedit cur memori gratulatione summaque celebritate saecularia eius sollemnia nobis recolenda censeamus: quandoquidem Aligherius noster est. Etenim Florentinus poëta, ut neminem fugit, studium naturae cum religionis studio coniunxit, mentemque suam praeceptis ex intima fide catholica haustis conformavit, animumque altioribus ac purioribus humanitatis et iustitiae sensibus enutrivit. Quod si, exilii acerbitatibus atque aerumnis afflictus partiumque studiis impulsus, ab aequitate iudicii aliquando discedere visus est, nunquam tamen evenit ut a christianae doctrinae veritatibus ipse deflecteret. Quis autem infitiabitur ingenii flammam virtutemque poëticam catholicae fidei afflatu Dantem nostrum usque adeo aluisse ac roborasse, ut mysteria religionis augustissima prope divino carmine cecinerit? Nemo est igitur quin videat grata recordatione atque summa honoris significatione catholicis universis, qua patet orbis terrarum, tantum nomen esse celebrandum.

Quam vero Nobis aperuisti obsequii formam, a coetu quem supra memoravimus constitutam ad sexies saecularem Aligherii excessum apte catholicis commemorandum, ea quidem huiusmodi est, ut peculiari laude digna omnino videatur. Etenim ad poëtae memoriam rite cohonestandam, cuius tanta fuit carminis excellentia ut divinus appellari ipsi promeruerit, quique versibus nec prius nec postea auditis altissimas fidei veritates tradidit, quid magis consentaneum esse potest quam ut templum instauretur, quod exulis poëtae pietatem, funebria, sepulcrum in memoriam reducit? Duplici igitur de causa, ea, quam statuistis praeconii honorisque formam, Nobis quidem probatur; quum enim arcto vinculo sit catholicae fidei coniuncta, non modo viris catholicis eadem est quam maxime accomodata, sed immortalis poëtae religioni optime respondet. Quam ob rem vota ex animo suscipimus ut inter catholicos universos,

etiam ex longe disiunctis orbis regionibus, in celebranda excelsi vatis memoria, nobile quoddam ac generosum certamen exoriatur, quod et christianum nomen addeceat et non interituro poëta dignum evadat. Ad Nos autem quod pertinet, ut summa, qua par est, amplitudine sollemnia Aligheriana instruantur, cogitatum et incepto vestro Nostram deesse nolumus commendationem, quam etiam a decessore Nostro Pio PP. X, felicitatis recordationis, iam dudum habuistis. At praeterea cum Nobis in animo sit stipem Nostram, pro Sedis Apostolicae conditionibus, conferre ad sancti Francisci aedem instaurandam, ut ipsa augustior ac tantis memoriis dignior efficiatur, decem millia nummum italicorum eroganda statuimus tibi quoque mittenda curavimus. Interea supernorum munerum conciliatricem Nostraeque benevolentiae testem tibi, venerabilis Frater, clero ac fidelibus omnibus tuae curae commissis apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVIII octobris anno MCMXIV, Pontificatus Nostri primo.

BENEDICTUS PP. XV

MOTU PROPRIO

DE BONONIENSI THEOLOGORUM COLLEGIO

BENEDICTUS PP. XV

Sacrae theologiae multimodis fovere studia, quibus ministeria sacerdotum in animarum salutem mirifice adjuvantur, sollemne semper fuit huius Apostolicae Sedis: quae quidem, provisum est divinitus, ut omnibus gentibus cum doctrinas Fidei, infallibili magisterio, tradat, tum etiam tutissima sit dux ad sacras colendas disciplinas. Iam vero, quod proprie ad has attinet, in pervetustis eiusdem Sedis Apostolicae laudibus ponendum profecto est *Studium Generale in Theologica Facultate*, quod Innocentius VI, fel. rec. decessor Noster, Bononiae, in urbe nobilissima, perpetuo mansurum excitavit Constitutione *Quasi lignum vitae* die XXI iunii anno MCCCLX edita ad Avenionem. Etenim hoc Studium, quo nullum antiquius in Italia, si Romam excipias, quodque Parisiensi illi *Sorbonae* haud immerito solitum est aequari, non modo humanis divinisque litteris emolumento, sed ipsi Romanae Ecclesiae et catholicae religioni fuit



gloriae; quandoquidem inde non pauci profecti sunt, rerum scientia, honorum amplitudine, vitae sanctimonia illustres viri: quo in numero non defuerunt qui ad supremam hanc Pontificatus Cathedram postea pervenirent. Numquam autem deinceps, saeculis labentibus, nec fructus nec fama existimatioque defecit Studii Bononiensis: quod, simul cum praeclarissima Schola iuris, fuit sane causae, cur Bononiensi urbi *Alma Mater Studiorum* nomen adhaeserit. — Intercessit quidem illa rerum omnium perturbatio, quae sub exitum saeculi duodevicesimi miscuit Europam: ea tamen, quamquam afflixit, non exstinxit penitus hoc Studium adnexumque Collegium Theologorum, quae revirescere visa sunt anno MDCCCXXIV, cum a decessore Nostro fel. rec. Leone XII Constitutione *Quod divina sapientia* Pontificiae Universitati studiorum Bononiensi sunt adiecta. Huic autem Romanorum Pontificum providentiae curaeque nullo non tempore egregia responderunt fide: cuius fidei in recenti rerum publicarum conversione commemorabile illud exemplum fuit. Cum enim multi propter ignaviam officium desererent ac sese ad novas res accommodarent, nemo unus ex huius Collegii et Studii doctoribus et magistris inventus est, qui ab Apostolica Sede descisceret, cuius ditioni obedientiam promississet, verum omnes apud Archiepiscopum, ut Collegii Archicancellarium, quo eum honore nulla inimica vis exuere potuerat, se congregarunt: quod si prohibiti aliquandiu sunt sua obire munia, at custodire, in ipsa temporum tristitia, patrimonium veteris gloriae non cesarunt.

Nos, quibus valde libentibus, dum Bononiensem ecclesiam gubernavimus, contigit ut hunc Archicancellarii locum obtineremus, nunc ad universi catholici nominis gubernacula, inscrutabili Dei consilio, collocati, equidem volumus, quas memoravimus Collegii glorias non solum compertas esse omnibus, sed etiam, si potest, augeri idque cum sacrarum incremento disciplinarum in utilitatem cleri, cuius sanae solidaeque institutioni quam maxime studemus. — Probe autem novimus debito in honore ibidem esse Thomam Aquinatem, cuius doctrinas decessores Nostri illustres, Leo XIII et Pius X, maximis extulerunt laudibus easque scholis catholicis religiose retinendas praescripserunt.

Itaque per has Nos litteras edicimus Bononiense Collegium Theologicum Studiumque Generale in Theologica

Facultate permanere talia, qualia Innocentius VI condidit a Bonifacius IX confirmavit; et quicquid de utroque decessores Nostri sapientissime constituerunt, omne Apostolica Nostra auctoritate ratum habemus.

Quoniam autem, tam longo intervallo, postremis praesertim temporibus, plura et Collegia et Athenaea theologiae tradendae sunt legitime condita, Nos, cum velimus ex una parte institutum Bononiense in pristinum decus, quantum fieri potest, revocari, ex altera nihil de beneficiis id genus quae aliis dioecesibus tributa sint, deminui, eadem auctoritate Apostolica, statuimus ut Archicancellarius et Collegium Theologorum Bononiense, servatis rite praescriptionibus vel sacri Consilii studiis provehendis, — in primisque decreto *Doctoris Angelici* die XXIX iunii huius anni edito de summis Thomae Aquinatis principiis in philosophia sancte tenendis deque ipsa Summa Theologica in scholis theologiae praelegenda — vel aliis quae Sedes Apostolica praeceperit praecepturaque sit, academicos theologiae gradus et lauream conferre possint, non iis tantum qui statuta studiorum curricula in scholis Collegii recte confecerint, aut ex finitimis dioecesibus Bononiam, eosdem gradus laureamque petaturi, advenerint, verum etiam quibuscumque, ex peculiari lege memorati sacri Consilii, necesse non sit, ad eos consequendos academicos gradus et lauream, in alia studiorum sede legitimum doctrinae periculum facere.

Atque haec Nos constituimus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die III mensis decembris MCMXIV, Pontificatus Nostri anno primo.

BENEDICTUS PP. XV

MOTU PROPRIO

DE ROMANA SANCTI THOMAE ACADEMIA

BENEDICTUS PP. XV

Non multo post editam Encyclicam Epistolam *Aeterni Patris* de philosophia christiana ad mentem Angelici Doctoris instauranda, decessor Noster fel. rec. Leo XIII ad Antoninum S. R. E. cardinalem De Luca, sacri consilii studii regundis praefectum, die XV octobris anno MDCCCLXXIX litteras *Iampridem* dedit, quibus promovendae propagandae-

que Thomae Aquinatis doctrinae propriam in urbe Roma Academiam, eiusdem sancti viri nomine patrocinioque insignem, instituit. Etenim „considerando experiendoque intellexerat, teterrimum quod adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem modo geritur bellum, citius feliciusque, opitulante Deo, componi non posse quam rectis sciendi agendique principiis per philosophicas disciplinas ubilibet restitutis; ideoque ad summam totius causae pertinere sanam solidamque ubique locorum reforescere philosophiam“; praecipue vero, ut planum est, in urbe principe catholici nominis, quae quia domicilium ac sedes est Pontificatus Maximi, ob eam causam ab adolescentibus clericis, discendi cupidis, ex omni terrarum loco celebrari solet, ac propterea debet optimae cuiusque institutionis et disciplinae laude ceteris antecellere. Ergo sapientissimus Pontifex romanam, quam diximus, a se conditam Academiam omni gratia complexus, re ditibus instruxit, beneficiis ornavit, privilegiis auxit, quorum quidem illud potissimum, ut liceret ei laurea doctorali suos donare alumnos, qui, communi philosophiae curriculo emenso, scholas dein horum perfectioni studiorum in sacris Urbis athenaeis constitutas atque academicos coetus, explorato cum fructu, biennium frequentassent. Cum autem ab Academia condita satis praeteriisset temporis, cumque eo spatio ad res, quarum causâ instituta erat, vel scriptis in dies certos vulgandis, vel publicis de philosophia sermonibus et disputationibus habendis, vel alumni spei bonae ad studia sustentandis, non parum profecisse videretur, litteris apostolicis *Quod iam inde die IX maii MDCCCXCV* Academiae leges ac statuta sollemniter Leo comprobavit. Tam utile institutum proximus decessor Noster sanctae memoriae Pius X admodum sibi probari ostendit per apostolicas litteras *In praecipuis laudibus*, die XXIII ianuarii anno MCMIV datas, quibus, ad christianam sapientiam contra recentiorum errores ac praesertim contra *Neorationalismum* seu *Modernismum* defendendam magnopere interesse professus ducem religiose sequi Thomam, quidquid auctoritate Leonis actum pro Academia erat, id omne confirmavit. Nos vero, cum, aequae ac Decessores Nostri, persuasissimum habeamus de illa tantum philosophia Nobis esse laborandum quae sit *secundum Christum* (Colos. II, 8), ac propterea ipsius philosophiae studium ad principia et rationem Aquinatis omnino exigendum esse, ut plena sit,

quantum per humanam rationem licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis, hanc S. Thomae Academiam, non minus quam illis, Nobis esse curae volumus appareat. Itaque eo consilio, ut magis magisque vigeat, in diesque existat fructuosior, nova quaedam curavimus praescribenda de studiis, de disputationibus, de doctrinae quoque experimentis, quae alumni dent, ut vel doctoris lauream adipisci, vel ad numerum sodalium academicorum adscribi possint: quas Nos praescriptiones et probavimus iam et hic ratas habemus. Posthac vero tres S. R. E. Cardinales Academiae praesidebunt; quorum primus semper esto sacri Consilii studiis regundis Praefectus *pro tempore*. Denique, ut ne illud quidem adiumenti genus desit ad sodalium et alumnorum diligentiam fovendam, de redditibus Academiae aliquid secerni iubemus, ab eius praesidibus definiendum, quod utrisque, praemii loco, distribuatur.

Haec autem, quae statuta a Nobis Motu Proprio sunt, firma et rata esse volumus, contrariis quibusvis non obstantibus. Eademque fore, ut Deus *scientiarum Dominus* ad incrementum doctrinae catholicae, ipso Angelico Doctore deprecante, convertat plane confidimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI decembris MCMXIV, Pontificatus Nostri anno primo.

BENEDICTUS PP. XV

## DIE ENZYKLIKA BENEDIKT XV „AD BEATISSIMI APOSTOLORUM PRINCIPIS“

Von Dr. ERNST COMMER

### I

Die erste an den Episkopat der gesamten Kirche gerichtete Enzyklika des neuen Papstes klingt wie die Ouverture zu einem grandiosen Pontifikat: ihre gewaltigen Worte wurden selbst vom Lärm der Schlachten nicht übertönt. Sie enthält das religiöse Regierungsprogramm, das der Nachfolger des zehnten Pius im Geiste seines Vorgängers und des großen dreizehnten Leos verkündet. Reich an dogmatischen Wahrheiten, zieht sie zugleich die Folgerungen aus denselben mit tiefem, praktischem Verständnis für die Lage der Gegenwart. Darum muß auch die kirchliche